



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Aedictvm Contra Bibliopolas, & librorum impressores, atque Dohanorum
Officiales, ne publice nec secrete audeant vendere aliquos libros
damnatos, reprobatos, & prohibitos, atque de haeresi suspectos: ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

A delibus, in fauorem suscepti baptismatis tanquam in pium vsum libere concedimus: eaque apud ipsos sic conuersos Iudeos & alios infideles remanere decernimus. Interdicentes sub diuine anathematis, pœna, quibusuis tam ecclesiasticis quam secularibus personis, ne vllam super bonis huiusmodi, quouis quęsito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur. Sed magnum se fecisse lucrũ existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam (vt scriptum est) qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua, ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos quam seculares, per viscera misericordię Dei nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices, ipsi quoque dięcesani, non solum Christianos ad subueniendum ipsis exhortentur, sed etiã tam de redditibus ecclesiarum, prout poterunt, quã de his, quę ad pauperum vsus per ipsos conuertendos deuoluuntur huiusmodi neophitos sustentare negligant: ipsosque a detractiõibus, & contumelijs paterna affectiõne defendant. Et quoniam per gratiam baptismi ciues sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longęque dignius existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus, vt ciuitatem & locorum in quibus sancto baptismo pro tempore regenerabuntur, vere ciues sint, & priuilegijs, ac libertatibus, & immunitatibus, quę alij ratione natiuitatis & originis duntaxat consequuntur, gaudeant. Curent insuper sacerdotes baptizantes, & alij de sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum, quã post illos in articulis fidei, ac legis nouę præceptis, catholicęque Ecclesię ritibus diligenter instruere: & tam ipsi quã dięcesani operam dent, ne cum alijs Iudeis seu infidelibus, saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoque contigit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos efficiat. Et quoniam experientia teste comperit est, mutuum ipsorum neophytorum inter se conuersationem, ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios, vt quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & studeant neophytos ipsos cũ originarijs Christianis matrimonio copulare, & prohibeant eisdem sub grauibus penis ne mortuos more Iudeorum sepeliant, aut sabbata, aliasque solennitates, & antiquę scđtę ritus quoquomodo obseruent; sed & Ecclesias, & prædicationes, prout alij catholici frequentent, & in omnibus Christianorum moribus se conformes reddant. Contemptores autem prædicatorum, per sacerdotes in quorum parochiis degent, aut alios ad quos de iure, vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscunq; dięcesanis seu Inquisitoribus heretica prauitatis deferant; & inuocato si opus fuerit auxilio brachii secularis, per eos taliter puniantur, quod alijs transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus in prouincialibus & synodalibus concilijs diligens fiat inquisitiõ, & tam circa episcopos & sacerdotes in præmissis negligentes, quã ipsos neophytos, & infideles prædictos cõtemptores opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cuiuscunq; gradus vel præminentię fuerit huiusmodi neophytos ne obseruationem ritus Christiani, & aliorum præmissorum complectantur, fouerit aut defendere, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipso facto incurrat: neophyti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum iudiazantes redire comperti sint, contra eos tanquam perfidos hæreticos per ordinarios locorum, secundum factorum canonum instituta procedatur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegijs, indultis, & literis etiam Apostolicis, seu etiam regijs, vel imperialibus eisdem Iudeis, vel infidelibus quomodolibet concessis, quę quatenus in detrimentum catholice fidei, aut nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis, quomodolibet vergent, ad effectum præsentium cassamus, irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus: alijs decretis & constitutionibus Apostolicis, quę super præmissis sunt condita in suo robore duraturis. Et huiusmodi sanctę constitutionis iugis memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prætereundere possit, illam per singulas cathedrales & collegiatas Ecclesias, aliaque pia loca, in quibus vberior erit fidelium concursus semel in anno ad minus infra diuina publicari volumus & decernimus. Et quia difficile foret presentes ad singula quęque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earundem præsentium transcriptis seu copijs, etiam impressis, & manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur vbicunq; forent exhibite, vel ostensę.

Concor. refecti
prum Nicolai
Pape incipi.
Vincam relat.
sup. pag. 68.

† forte, frigidiores.
Neophyti non
inter se, sed cũ
originarijs,
Christianis ma-
trimonia con-
trahant vide in
Directorio par.
2. nu. 114. tit. de
signis exterioribus
quibus hæretici re-
iudiazantes di-
gnoscuntur.

Neophyti re iudiazantes vt per
sidi hæretici
puniantur.

Datum Romę apud Sanctum Petrum, sub annulo pifeatoris, die xxi. Martii, Millefimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octauo.

E *Æ D I C T V M C O N T R A B I B L I O P O L A S,*
& librorum impressores, atque Dohanorum Officiales, ne publice nec secrete audeant
vendere aliquos libros damnatos, reprobatos, & prohibitos, atque de hæresi suspectos:
nec imprimere, nec eorum dominis relaxare, sine expressa licentia, & contra vendentes,
comparantes, legentes, audientes, communicantes, docentes, prædicantes: scientes,
& non reuelantes, non reddentes, nec consignantes huiusmodi libros, sub diuersis
pœnis, vt infra.

Non

Edita anno Do-
mini 1541.
Ex bibliotheca
nostra, erat au-
tem impressa.



OS Ioannes Petrus sancti Clementis, Ioannes sancti Sixti, Bartholomeus sancti Cesarei, & Thomas sancti Syluestri Titulorum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri Cardinales, Inquisitores Generales haereticae prauitatis per Vniuersam Rempubicam Christianam a sanctissimo D. Nostro Paulo Diuina prouidentia Papa III. Sanctaeque sede Apostolica specialiter deputati. Vniuersis & singulis personis cuiuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis aut praeminentiae existentibus in alma Vrbe, omnibusque alijs ciuitatibus, oppidis, terris, & locis totius Italiae, ac vbilibet constituti, ad quos praesentes nostrae litterae peruenerint, Salutem & in Domino sinceram & veram fidem.

Animaduertentes non sine maximo animorum nostrorum dolore, hisce temporibus quamplurima Opuscula, Tractatus, Epistolas, & libros quorum quamplures erroneos, alios scandalosos, alios piarum autium offensiuos, alios temerarios & seditiosos, & deniq; alios notorie haereticos iamdudum a sanctis patribus & generalibus Concilijs, ac per praefatum Sanctissimum dominum nostrum sanctaeque sedem Apostolicam reprobatos, & damnatos passim in Romana Curia, alijsq; Italiae ciuitatibus, oppidis, terris, & locis, vendi, emi, & legi, & in manibus hominum versari, alijsq; de nouo quotidie edi, publicari, & imprimi, quibus quamplurimi filii latanae, ac pestilentes personae conantur hanc nobilissimam prouinciam, quae a primordiis nascentis Ecclesiae firma & illaesa in vera fide permansit, seducere, atq; subuertere; falsam, sacrilegam & pernitiosam doctrinam mendaciter, pernitiose, & damnablem disseminando in maximum orthodoxorum scandalum, ac Reipublicae Christianae periculum. Ideo cupientes huiusmodi haereticorum libros de finibus Christianorum expellere, eorumq; falsas doctrinas & errores peruersos, quantum in nobis fuerit, extirpare, vt catholica & orthodoxa fides integra illaesa, & illibata permaneat, ac populus Christianus in eiusdem fidei sinceritate, quolibet obsecrationis semoto velamine, immobilis, & inuolatus persistat. Vniuersis & singulis Bibliopolis tam Almae Urbis, quam aliarum prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum totius Italiae, in virtute sanctae obedientiae, & sub excommunicationis latae sententiae, ac mille ducatorum Camerae Apostolicae, ac accusatori pro medietate applicandorum alijque arbitrarijs tam nostro, quam subdelegatorum per nos deputatorum vel in posterum deputatorum arbitrio statuendis, ac omnium librorum amissione, & insuper trium scutum suis penis precipimus & mandamus, quatenus dicti Bibliopola aliquos libros tractatus, opuscula, epistolas, vel quacunq; alia scripta in quocunq; idiomate composita siue translata haeretica vel de haeresi suspecta per sanctitatem suam & sedem Apostolicam, alijsq; Romanos Pontifices eius praedecessores damnatos, reprobatos, & prohibitos, necnon sermones Bernardini Ochini de Senis nouiter impressos, atq; libelles quosdam qui Pasquilli in Ecclesijs inscribuntur, nec quosvis alios in quacunque facultate nouiter compositos, & editos & praesertim sine titulo aut auctore publice, nec secrete vendere audeant, nisi prius offenso nobis in Romana Curia, & extra eam personis per nos delegatis seu delegandis Indice omnium & singulorum librorum, quos penes se habeat, & obtenta prius licentia in scriptis a nobis, vel dictis delegatis, vel delegandis in suis districtibus ad eos vendendum; alioquin pro secunda vice, si contrafecerit: ultra penas praedictas reddantur inhabiles ad exercendam dictam Bibliopola artem, & in perpetuum exilij talium ciuitatum, & locorum ubi eos commorari contigerit, eo ipso poenam incurrant. Praeterea omnibus & singulis tam dictae Almae Urbis quam quatumcunque aliarum prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum totius Italiae librorum impressoribus & cussoribus sub praedictis censuris, & poenis praecipimus, & mandamus, quatenus de cetero ne quis eorum libros praedictos, etiam si sint alia impressi, nec alios quoscuque nouiter compositos in quacunque re vel facultate quoquomodo imprimere presumat, nisi de expressa licentia nostra, vel Reuerend. D. Vicarij Domini nostri Papae, & nisi prius fuerint nisi per nos, vel per venerabilem facti palatij Apostolici magistrum pro tempore existentem in Romana Curia; extra vero ea, per personas per nos, vt praemittitur, delegatas, vel delegandas, & subnotato semper in calce talium librorum nomine Impressoris & loco, die, mense, & anno, vt fieri solet. Qui si secus fuerint, ultra poenas praedictas pro secunda vice reddantur perpetuo inhabiles ad dictum impressoris officium agendum & exercendum, & perpetuo exulent, & exterminentur a ciuitate, oppido, villa, terra, vel loco, ubi eos domicilium habere contigerit. Nec dicti librorum impressores excludantur a dictis poenis, si in eorum officinis, etiam si sit sine eorum scitu aliqua mulier, vel minister id fecerit. Item omnibus & singulis Dohanerijs tam Almae Urbis quam quatumcunque aliarum prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum totius Italiae sub poena duorum milium ducatorum, & suorum officiorum priuatione irremissibili praecipimus, & mandamus; quatenus postquam ad eorum potestatem siue Dohanas quicunque libri impressi vel non impressi perlati fuerint, omni diligentia nobis in Romana Curia vel praedictis delegatis extra eam significare curent, vt nos, vel illi possimus tales libros inspiciere, nec absq; nostra expressa licentia eos eorundem librorum Dominis aliquo modo consignare audeant. Item sub eisdem poenis & censuris praecipimus, & mandamus omnibus & singulis supra dictis, ne quis audeat libros praedictos haereticos, erroneos, & temerarios, & seditiosos quoquomodo comparare, emere, nec per alios oblatos accipere, legere, nec ab alijs electos audire, nec cu aliquo, ueibo uel in scriptis obicare, docere, nec predicare, nec ex alijs prouincis eos in Italiam asportare seu asportari facere, quoniam si quos penes se habent, statim ad nos uel nostrum quemlibet

† Dohanerios
vocat eos qui
in singulis vr-
bibus publica
exigunt vesti-
galia debita e-
mercibus quae
inducuntur, aut
extra ducuntur.

A libet in Romana curia, extra vero eam ad prædictos subdelegatos in suis districtibus realiter, & cum effectu afferant, & consignent: quas censuras, & penas incurrant omnes, & singuli scientes, & non reuelantes qui sunt auctores, fautores, & impressores talium librorum. Verum quia nos præmissa diuersis in partibus exequi, & agere non valeamus, confidentes de doctrina, ac sincera fide, & religione Reuerendi patris F. Thoma Maria de Bononia, Inquisitoris in ciuitatibus Ferrariæ, & Mutinæ, eum & N. eius substitutum, & eorum quemlibet in solidum ad præsens edictum publicandum & seruari faciendū, cæteraq; omnia & singula præmissa facienda, gerenda, exequenda, exercenda, & procuranda in Ciuitate, & dominio Ferrariæ ac Mutinæ, terrisq; omnibus his subiectis, in quibus hoc nostrū edictum publicari mandamus, tenore præsentium substituimus, & subdelegamus, vices nostras ipsis, & cuilibet eorū desuper plenarie committendo, cum amplissima facultate ingrundi quascunque Bibliothecas & officinas talium impressorum & libratorum, & quorumuis priuatarum Domos, Ecclesias, & monasteria, & diligenter inquirendum si ibidem reperiuntur huiusmodi libri, eosq; si necesse fuerit, publice, vel secreta prout eisdem videbitur, comburendi, cæteraq; faciendi quæ ad extirpandas hæreses, & libros huiusmodi à Republica Christiana exterminandos pertinere videbuntur. Quocirca oēs & singulos Christianæ & Catholicæ fidei professores, Imperatorē, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Potestates, Rectores, Consules, Proconsules, Communitates, & Vniuersitates Regnorum, prouinciarū, ciuitatum, oppidorū, castrorum, villarum, terrarū, aliorumq; locorum prædictorum, necnon ceteros iurisdictionem temporalem exercentes totius Italiæ, & extra hortamur, requirimus, & in Domino monemus quatenus prædictis subdelegatis, vel subdelegandis nostris & eorū cuilibet, in suis districtibus omne auxilium, consiliū, & fauorem ad præmissa omnia & singula facienda & exequenda, quantum in eis fuerit, quemadmodū decet viros vere Orthodoxos, præstent, ac præstari curent, atque de prouincijs, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & cibus alijs locis, aut dominijs supradictis, oēs & singulos hæreticos, quos publice, vel manifeste per facti euidentiā cognouerint esse tales, tāquam oves morbidas gregem Domini inficientes expellāt, donec & quousq; à præfato Sanctissimo Domino nostro, vel à nobis qui eius vices in hac re gerimus, vel alijs iudicibus Ecclesiasticis vel Inquisitoribus ordinarijs, vel per nos deputatis seu deputandis, fidem, & cōmunionem Romanæ Ecclesiæ tenentibus, aliud recipiant in mandatis: nec eisdē in suis districtibus prædicare, domicilia tenere, latere, & fouere, contractus inire, negotiationes & mercatias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cū Christi fidelibus habere permittāt. In cuius rei testimoniū præsentis nostras litteras manu nostra propria subscript. per Secretariū nostrū fieri, & subscribi, nostrisq; sigilli impressione cōmuniri mādauius. Dat. Bononiæ 4. Id. Iulij, anno Domini M. D. XLIII. Pontific. S. D. N. Pauli, diuina prouidentia Papæ iij. anno viij.

F. I. Cardinalis Bugen.
B. Cardinalis Guidicionus.

De mandato Illustiss. ac Reuer. Dominorum Cardinalium Inquisitorum.
Doct̃or Alfonso Martinez Secretarius.

IVLIVS PAPA III.

De reuocatione Hæreticorum ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium.

Venientibus sponte ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, & suas culpas integre confitentibus post sex menses à publicatione huius rescripti, dummodo prius non fuerint inquisiti vel denunciati, remittuntur omnes pena à iure vel ab homine lata. ob irregularitate absoluantur. ad sacros ordines promouentur. eorum filij ad officia & beneficia admittuntur. quod si intra hunc terminum non venerint, à quibusuis denunciatur sub penis grauib. qui non paruierint, vt hæretici publicentur. contradictores cōpelluntur per censuram ecclesiasticam inuocato brachio seculari. de reconciliatione & abiuratione reorum publicæ scripturæ fiant, quibus ipsi conuersi subscribant.

IVLIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ILLIVS qui misericors, & miserator existens non solum septies, sed etiam septuagies septies ignosci debere mandauit, vices licet immeriti gerentes in terris, etiam ijs, qui à fide Christi aliquando aberrant, ianuam pietatis, & misericordiæ aperimus, ac penas quas iuris seueritas in eos statuit, Apostolicæ sedis clementia moderamus, vt aberrantes huiusmodi dictæ sedis benignitate allecti, eorum erroribus abiuratis, catholicæ fidei zelum, & obseruantiam in eorum cordibus firmiter recipiant, & si in eorum falsis opinionibus perseverare præsumperint, in eos vehementius animaduertatur, quo obstinatores se in erroribus suis præstiterint. Sane cū sicut nuper accepimus, diuersi fideles diabolica fraude decepti, se in diuersas erroneas, & ab eadem fide alienas opiniones, paulatim deduci permiserint, & modo publicam penitentiam abhorrentes, & potius placita huius sæculi, quam salutem animæ suæ sectantes, ne infamia aspergantur, ad ouile Christi redire differant. Nos animarū salutem quantum cū Deo possumus consulere cupientes, motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & certa scientia nostris, omnes, & singulos vtriusq; sexus, tam laicos, quam clericos sæculares, & quorumuis ordinū, & militiaiū regulares, tam milites, quā pres-

Edita anno Domini. 1550.
Ex bibliotheca nostra eratque impressa Romæ anno Domini. 1550.

H byre-